

Q. N. 357, 10.

II f
594

DE TRIBVS COMMERCII INTER ANIMAM
ET CORPVS SYSTEMATIBVS
BREVITER DISSERIT
ET AD RENOVANDAM MEMORIAM
VIRI LIBERALISSIMI

IO. CHRISTOPHORI RICHTERI
AVDIENDAMQUE ORATIONEM

A

IO. GOTTHOLD GEISLERO FREIB

DISCIPVLO PROBO ET INDVSTRIO

DE EO VTRVM LECTIO DIARIORVM AD ERVDITIONEM

SUFFICIAT

D. IV. NON. QVINCT. A. R. S. CICICCLX

HABENDAM

SVMME REVERENDVM SACRORVM
ANTISTITEM

AMPLISSIMVM VRBIS SENATVM
CETEROSQUE REI LITTERARIAE FAVTORES
SVMMA OBSERVANTIA ET HUMANITATE

INVITAT

M. IO. ANDR. LVTHERVS
CONR

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.



Quemadmodum arduum est et subdifficile argumentum, de
arctissima animae et corporis, partium quippe inter se
distinctissimarum, coniunctione, vi cuius in agendo patien-
doque conspirant amice ac concurrunt: sic, non easdem
eruditorum, de intimo hoc, quod inter utrumque intercedit,
commercio, esse sententias, sed magnam hic inueniri opinionum varie-
tatem, non est, quod miremur. Princeps autem caussa, quam ob rem
tot sententiarum, medicos inter ac philosophos, ortae sint dissensiones,
est περὶ τοῦ illud Φεύδος, quod, neque immateriale cum materiali com-
mercium habere, neque spiritum rem materiam immediate afficere,
adeoque neque animam in corpus, neque hoc in illam influere posse,
sibi persuadent. Hunc errorem praeter alios in primis Ge. Ernest.
STAHLIVS, iam sub prioris saeculi finem feliciter remouit, et tam a
priori, quam posteriori, vti loquuntur, demonstrauit, quam conueniens,
quamque aequum sit, vt spiritus sapiens per corpus operetur, et hoc
instrumento, ad fines suos obtinendos, vtratur. Id enim sua ipsius quem-
libet docet experientia, ad cogitationes et decreta animae sequi motus
in corpore, et, ad certas ab obiecto externo in organis sensoriis factas
mutationes, oriri in animo representationem illius obiecti sensibilis,
et ad hanc representationem sequi in voluntate vel appetitu illius rei,
vel auersationem: vtr modus, quo haec contingant, a variis varie ex-
plicetur, aut plane ignoretur. Interim nec illud difficeri nolim, esse
nonnullos, qui cum Christ. WOLFIO Rat. Praelect. in Mathefin et
Philosophiam uniuersam, p. 144. opinentur, hic committi vitium sub-
reptionis, cum per experientiam nihil amplius, quam nutum mentis et
motum in corpore uno eodemque fieri momento, cognoscamus, non
autem mentem nutu suo esse caussam illius motus. Quicquid autem
eius rei sit, ad tria systemata, vt vocant, reuocari solent eruditorum
hypotheses, quae excogitatae sunt, ad reddendam rationem commercii,
inter animam et corpus intercedentis, et conuenientiae actionum, inde
fluentis, et praeter haec tria aliud excogitari non posse, a priori de-
monstrat Ge. Bernh. BILFINGERVS, in *Commentatione hypothetica, de*
Harmonia animi et corporis humani maxime praestabilita, ex mente illu-
stris

stris LEIBNITII, Sect. II. §. 13. sqq. p. 10. sqq. Cui adstipulantur Sam. Christian. HOLLMANNVS, in *Dissert. I. de Harmonia inter animam et corpus praestabilita*, p. 6. 10. Sam. BILLEBIVS, in *Diss. an Harmonia praestabilita sit miraculum*, p. 8. Frid. Phil. SCHLOSSERVS, in *Comment. de commercio animi et corporis*, p. 8. Frid Christ. BAVMEISTERVS, in *Institut. metaphysicis*, p. 472. Primum vocatur *Systema influxus physici*; alterum *Systema adstantiae, sive caussarum occasionalium*; et tertium denique *Systema Harmoniae praestabilitae*. De singulis pauca, pro instituti ratione, afferre placet, ita tamen, ut, cum huius problematis solutio, qualis demum cunque hypothesis eligatur, exiguum, aut nullum plane, in altioris momenti disciplinis habeat usum, nos, historici partes suscepturn, recenseamus tantum, quid de hoc argumento statuerint eruditii, nec, quae harum opinionum proxime a verisimilitudine absit, definiamus.

Prima igitur hypothesis dicitur, Peripateticorum formula, *Systema influxus physici*, ex ea ratione, quandoquidem anima physice influere (hoc enim vocabulum adhibere solent,) in corpus, et corpus physice influere in animam puratur. Systema hoc alias quoque *Systema Aristotelico-Scholasticum*, et defensores eius *Influxistae*, seu *Influxionistae* appellantur. Consistit autem in eo, quod mens agere in corpus, et corpus vicissim in animam, et haec per illud suas habere sensationes ac perceptiones, hisque mediantibus, ideas suas atque iudicia producere, existimatur. Locum obtinuit hoc Systema inde ab Aristotelis tempore, usque ad Cartesii aeratem, neque aliud, praeter hoc, in scholis philosophorum notum fuit.

CARTESIUS autem, negata animae vi corpus mouendi, et abie dicata corpori virtute ideas imprimendi, aliud Systema excogitauit. Quod igitur animae corporisque ministerio adscribere debebat, ipsi Deo tribuebat, opinatus, Deum sua virtute $\alpha\mu\epsilon\tau\omega\varsigma$, ad motus per obiecta externa in organis sensoriis factos, perceptiones, sive ideas, in anima producere, et ad decretum animae motus in corpore excitare. Dicitur haec opinio *Systema Cartesianum*, ab auctore, itemque *Systema occasionale*, *Systema caussarum occasionalium*, *Systema adstantiae*, quoniam in

eo

QK
TA
5y

X 3686477

eo animae et corpori nihil amplius relinquitur, quam occasio adsistendi agendique, quae Deo ab alterutra parte praebeatur; defensores autem eius vocantur *Occasionistae*. Cum vero, stante hac hypothesi, omnis voluntatis humanae libertas tollatur, et omnis animae perceptio, omnisque corporis motus voluntarius pro miraculo habendus sit, immo Deus ipse omnium cogitationum, locutionum, actionumque, etiam malarum, auctor effectorque statuatur, quod sine impietate ne cogitare quidem, nedum dicere, licet: inde factum est, ut praeter eos, qui Cartesium vnicice sequuntur, Nic. MALEBRANCHIVM, Lud. de la FORGE, Bern. CONNORIVM, Io. CLAVBERGIVM, Petr. BAELIVM, Christoph. WITTICHIVM, Ant. le GRAND, et ex Germania lo. Christoph. STVRMIVM, pauci reperti sint, qui eidem adstipularentur.

Restat tertia sententia, cuius auctor est Godofr Guil. LEIBNITIVS, summus Germaniae philosophus, qui, animam vi sua omnes ideas successive euolvere, quae actionibus corporum in organa sensoria respondeant; corpus vero omnes motus, appetitus animae conuenientes, producere, statuebat; Deum tamen inter vtriusque substantiae actiones praestabilivisse exactam harmoniam, per et propter quam intentis cogitationes et corporis motus semper conspirent, quamuis vnum in alterum haud agat. Illustrare solent hanc amicissimam motuum corporis, operationumque mentis, consensionem exemplo, a duobus diuersis horologiis, exactissime inter se consentientibus, petito. Quemadmodum enim, sapiens artifex duo horologia per artem suam tam artificiose construere nouit, ut perpetuo sibi respondeant, exactissimamque in indicandis horis servent harmoniam, quamuis neutrum in alterum agat: ita Deum, pronunciant, sapientia sua animum et corpus in homine adeo harmonice coniunxisse, ut summa mutationum et operationum consensio, sine mutuo influxu, in illis deprehendatur. Animus erat historiam huius hypotheses Leibnitiana, de Harmonia praestabilita, commemorare, quae multas nostra aetate controversias, magna animorum contentione agitatas, excitauit: sed cum chartae angustia, et rerum dicendarum copia, impedimento sint, quo minus id fieri possit, rem omnem in aliud tempus differre coger

UD-18

ne

Q. N. 357, 10.

DE TRIBVS COMMERCII INTER ANIMAM
ET CORPVS SYSTEMATIBVS
BREVITER DISSERIT
ET AD RENOVANDAM MEMORIAM
VIRI LIBERALISSIMI

IO. CHRISTOPHORI RICHTERI
AVDIENDAMQUE ORATIONEM

A

IO. GOTTHO

DISCIPVLQ

DE EO VTRVM LEC

D. IV. NON.

SVMME REV

AN

AMPLISSIM

CETEROSQUE RE

SVMMA OBSER

M. IO. A

FREIBERG.

T
F

